

constat namque ex genere & differentia secundum sua requisita;
illa enim particula, causa, stat loco generis, quia per illam con-
venit cum omnibus causis tam intrinsecis, quam extrinsecis,
tam proprijs, quam improprijs, & ab extrinsecis causis differt
per alias particulias; quia vt supra dixi in hoc n. 5. additur etiā
motus naturalis, in quo differt natura ab arte, natura enim non
est principium motus artificialis, nec violenti.

6 Ex quo inferatur, vt etiam dictum est n. 4. hic, quod natu-
rale tot modis dicatur, quot modis natura dicitur; vnde etiam
inferendum est, quod motus ignis sursum, & terrae deorsum, na-
turalis sit, quia tales motus sunt iuxta naturam ignis, & terrae; &
supernaturale simpliciter dicatur, quod est supra vires rerum
omnium factarum, siue per creationem, siue per generatio-
nen quare concludo, verè, & propriè, ac rigorosè lo-
quendo naturam vocari substantiam illam, quæ est principium
distinctæ operationis a se, & non est suum esse, & operari. quare
sit, vt totum id, quod non est suum esse, & sua operatio, natura
dicatur, siue res naturalis, siue ens naturale, & sic naturale habet
comprehendere omnem substantiam, siue spiritualem, siue cor-
poralem dependentem; vnde si sumatur etiam creatura creabi-
lis, quamvis perfectissima in infinitum, natura erit, quia depen-
dens erit, & non erit suum esse, & sua operatio; è contra velò,
vt dixi, supernaturale est id, quod est suum esse, & tale suum
esse a se habet, & a se nullatenus distinctum, cuiusmodi solus
Deus est; vnde testatur ipsemet dicens Ego sum qui sum. sit er-
go, quod si aliae definitiones essentiam & quidditatem naturæ
explicit, non ita bene sicut hæc ultima, quia illam nobis ma-
nifestat absqueulla æquiuocatione. & si quis dicerebat quod ante-
cedenter dixi, naturam esse easam intrinsecam motus & quietis
illam definitionem attulit ad interrogandam Aristotelis defi-
nitionem, quia eo ipso, quod est causa intrinseca, est causa cō-
ponens, atque adeo principium distinctum a sua operatione, vi-
delicet a motu & quiete; alias dicendo quod est principium
motus & quietis naturalis, redditur idem per idem, quia quæ-
rendo quis, quid sit natura, querit etiam quid sit motus natu-
ralis, cum motus naturalis sit motus proueniens a natura, & sic
idem erit dicere quid est motus naturalis, at quid sit natura. re-
stet ergo, quod id, quod non est suum esse, aut suum esse habet a
sua operatione distinctam, natura est, & vice versa, id quod est suum
esse & suum esse est suum operari, vere supernaturale ens dicatur.